

Jesus, emissa voce, exspiravit.

✠ Lécctio sancti Evangélii
secúndum Marcum

15, 33-39; 16, 1-6

- ³³ **F**acta hora sexta,
ténébræ factæ sunt per totam terram
usque in horam nonam.
- ³⁴ Et hora nona exclamávit Iesus voce magna:
«Heloí, Heloí, lema sabactháni?»,
quod est interpretátum:
«Deus meus, Deus meus, ut quid dereliquísti me?».
- ³⁵ Et quidam de circumstántibus audiéntes dicébant:
«Ecce Elíam vocat».
- ³⁶ Currens autem unus et implens spóngiam acéto
circumponénsque cálamó potum dabat ei dicens:
«Sínite, videámus, si véniat Elías
ad deponéndum eum».
- ³⁷ Iesus autem, emíssa voce magna, exspirávit.
- ³⁸ Et velum templi scissum est in duo
a sursum usque deórsum.
- ³⁹ Videns autem centúrio, qui ex advérso stabat,
quia sic clamans exspirásset, ait:
«Vere homo hic Fílius Dei erat».

[40-47]

- ^{16,1} Cum transísset sábbatum,
María Magdaléne et María Iacóbi et Salóme
emérunt arómata,
ut veniéntes úngerent eum.
- ² Et valde mane, prima sabbatórum,
véniunt ad monuméntum, orto iam sole.
- ³ Et dicébant ad ínvicem:
«Quis revólvet nobis lápidem ab óstio monuménti?».
- ⁴ Et respiciéntes vident revolútum lápidem;

erat quippe magnus valde.

⁵ Et introeúntes in monuméntum
vidérunt iúvenem sedéntem in dextris,
coopértum stola cándida,
et obstupuérunt.

⁶ Qui dicit illis:
«Nolíte expavéscere!
Iesum quáeritis Nazarénum crucifíxum.
Surréxit, non est hic;
ecce locus, ubi posuérunt eum.

Verbum Dómini.